Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31626
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

ferro renuisse submittere. si ferocitas persecutoris
non deesset. Migravit autem sancta Otilia et ut ita dixerim
vitam in melius mutavit. Idus decembris. Regnante domino
nostro iesu christo cui est honor et gloria per omnia secula seculorum.

Spiridionis confessoris. XXXVI.

Apud Cyprum natalis
sancti Spyridionis episcopi. Qui
fuit unus ex illis confesso-
ribus quos Maximianus
dextris oculis effossis et si-
nistro poplite succiso per
metalla dampnaverat.
Qui cum propheticam duceret vitam et iam signorum
gloria inclytus fuit. Iste enim rusticus fuit habens uxo-
rem et filios sed non propterea in rebus divinis minor. Contigit
aliquando autem per noctem venisse malignos viros ad
ovile eius. et cum rapere niterentur. subito vinctos nul-
lo ligante fures te illuc facta die venientem inve-
nisse ligatos eos et solvisse quidem ab invisibilibus vin-
culis culpasse tamen et dixisse. Cur fratres cum liceret que
desiderabatis accipere elegistis potius ea rapere et noctem
ducere vigiliis infelicem. Tum miseratus eorum magis
autem ad meliora eos erudiens ait. Abite hinc sumen-
tes arietem. laborastis quippe vigiliis et decet vos sine
querimoniis recedere ab ovibus meis. Quod quidem
quilibet iuste potest ammirari nichilominus et iam istud.

Apud filiam eius nomine Herenem virginem qui-
dam notorum speciem aliquam deposuerat. Que su-
mens depositum sub terra recondidit ubi caute cre-
didit custodiri. Contigit interea mori puellam nichil
confessam patri. Venit homo depositum repetens ig-
norante Spiridione quid loqueretur. Cumque in tota do-
mo requisisset nec inveniret. flebat capillosque
evellebat et morti vicinus esse videbatur ille qui depo-
suerat. Hec Spyridio fieri videns et cursim ve-
niens ad sepulchrum vocavit nomine puellam.
Qua respondente de causa depositi requisivit.
Et dum ab ea didicisset reversus et inveniens ubi
puella significaverat reddidit homini quod petebat.
Quoniam quidem adhuc in vivis sermonem non est incon-
gruum et iam illud dicere.

Mos erat huic Spyridioni ex fructibus qui nasce-
bantur ei alios quidem pauperibus erogare alios qui-
dem gratis mutuare volentibus. Sed neque per se dabat
neque per se recipiebat sed cubiculum demonstrabat
invitans pe[...]tentes ut quantum opus haberent
tollerent et denuo revocarent quantum se noverant
abstulisse. Quidam vero dum mutuum percepisset rever-
sus post aliquantum quod tulerat redditurus. Quem dum
secundum consuetudinem iussisset reponere in cubiculo
quod fuerat exinde mutuatus ad iniusticiam ille conver-
sus et credens latere Spyridionem non reddidit quod
debebat. Sed auferens debitum quasi reddidisset disces-
sit. Quod tamen longo tempore non erat ignoratum. Post
certum namque venit rursus petens ab eo mutuum.
At ille eum misit ad horreum data potestate ut ipse sibi
mitteret quantum opus haberet. Vacuum vero eundem locum
inveniens et hoc occulta fide cognoscens Spyridi-
oni nunciavit. Ille respondit ei. Mirum est o homo
quod loqueris quomodo tibi soli visum est horreum necessariis
defecisse. Sed considera potius apud te metipsum ne for-
te mutuatus alia vice quod debueras prius non solvisti.
Si enim hoc non est indubitanter non probabis quibus eges. sed
rursus accedens invenies. Sic ille captus quod reli-
querat ei indicavit. Dignum est igitur huius sanctissimi vi-
ri mirari puritatem et ecclesiastici ordinis valde cus-
todiam. Dicitur itaque quodam tempore pro aliqua utilitate
in unum cyprios episcopos convenisse et inter eos fuisse
hunc Spyridionem et Triphillium Ledrensem episcopum
virum eloquio et sapientia nec non et beritone legibus
peritum. Cum itaque collecta celebraretur iniunctum est
Tryphillio ut faceret sermonem. Cumque ille locutus
venisset ad medium tolle lectum tuum et ambula. cu-
bile dixit pro lecto mutans nomen. Spyridion au-
tem indignatus ad eum exiliens de kathedra sacerdotali
tu melior es inquit ei qui lectum dixit quam ea quibus ver-
bis uti confunderis. Hoc autem fecit pro ipso conspicien-
te mediocritatem docens eum qui eloquii supercilio pretume-
bat. Erat enim ydoneus ad timorem incutiendum cum
esset venerandus et operibus gloriosus simulque senex
evo et sacerdotis officio. Qualis autem circa peregrinorum
susceptiones fuerit hinc apparet. Instante au-
tem quadragesima quidam ex itinere venit ad eum quibus
diebus consueverat cum suis continuare ieiunia
et die certo comedere medios dies sine cibo con-
sistens. Videns itaque peregrinum valde defectum.
perge inquit sue filie lava peregrini pedes et cibos
appone. Cumque virgo dixisset nec panem esse nec
alphita quarum rerum nichil solebant habere
reconditum propter ieiunium orans primum veniamque
petens filie iussit ut porcinas carnes quas
domi salitas habebat coqueret. Quibus coctis
sedens cum peregrino positis carnibus comedebat.
et rogabat ut una cum eo ederet peregrinus.